



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Ganymedes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Thebis enim qui vicerant Jolea, Myrto coronabantur, ea de causa, inquit interpres, quia funebria est, Jolam enim heroem Thebani colunt, ad cuius tumulum Jolea celebrabant.

## AMORIS VULNERA. CAP. XXIX.

Myrtus fo-  
lia habens  
perforata.

Est Myrti genus, quæ folia habet perforata, ea Trezenis latissime provenit: per hanc amoris vulnere, mœroremque ipsum, quo plurimum amantes ex desiderio concipiuntur, significari tradiderunt celebres doctrina viri. Alii (dicenda enim omnia sunt) fabulantur ab acu, quæ Phædra capillos coercerat, ea foramina processisse: de quo, ut nullam esse fabulam tam ineptam, quæ apud Grecos auctore careat, admoneamur, apud Pausaniam lib. I. videndum.

## GANYMEDES. CAP. XXX.

Sunt qui per myrtum Ganymedem referri putent, quod persuasum sit eam ibi latissime natam, ubi puer is pedum vestigia pressisset. Argumento esse locum in Chalcide Harpagium à re ipsa nuncupatum, quod ibi Ganymedem ab Jove raptum fabulantur, ibidemque Myrtos pulcherrimas, atque admodum copiosas nasci. Quod ea de causa à Chalcidensibus confectum ajunt, quod insulares illi impurum genus fuerint, puerillum amorum turpitudini quam deditissimi, pudore omni pollubito. Id quoque apud Pausaniam.

## PAPYRII VICTORIA. CAP. XXXI.

In numis aliquot aspiciere est Papyrii caput myrtea corona redimitum. Significat id Sardos ab eo in campis Myrteis superatos, ob cuius rei memoriam myrtea ipse corona usus est.

## JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

## LIBER LI.

DE IIS QUÆ PER QUERCUM, HEDERAM,  
FERULAM, MILACEM ET AMYGDALAM  
SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ILLUSTR. HIERONYMUM ROBOREUM  
VICINOVI DOMINUM.

Ecce vero tibi Quercus tua, bonantissime Hieronymo, quam ex Ægypto ad vestram tibi dari tantopere cupiebas, neque id immerito, neque temere: nam cum ea arborum validissima vulgo à robore nomen consecuta sit, sive potius vires ipse ab arbore Quercu, quæ robur ipsa est, nomen acquisierit, cui potius dari debuerit, quam illi qui de clarissima Roborea stirpe prognatus, duorum aetate vestrorum maximorum Pont. Sixti IV. & Julii II. illustris gloria, clarissimum quemque, eorum de consue videtur? Nam Sixtus Saona ortus cum veluti postliminio Taurinum veterem patriam studium florentem revocasset nostrorum tuorum, quos agnatis habebat, liberalitate adjutus, pariter sibi ad Pontificatum viam invenit: multum enim virtute & disciplina optimis profecit, ut vel ante aetatem primos in congregatione sua titulos sit honorifice consecutus: mox doctrina & prestantis ingenii nomine Sacerdos Card. factus, integritate hominis cognita, nullo negotio fuerit ad summum Pontificatum evectus, ac tum ipse, tum Julius II. qui eò paulo post successit, progeniem, unde fuerant oriundi, honestissimis titulis & honoribus ornaverunt.